

*primo : In Capitulo XXX ( hodie 29. ) dicente :*

Præterea debemus facere ea omnia , quæ prædecessores nostri Ecclesiis Venetiarum facere consueverunt : salvo tamen , quod si inde aliam habuerimus conscientiam , quam Conciliarii nostri , quod acquiescere debeamus in voluntate majoris partis nostri Concilii , excepto de facto Ecclesiæ S. Marci , in quo observare debemus ut invenimus.

*Tenor juramenti unius Capituli :*

Juramus statum & honorem Ecclesiæ B. Marci bona fide , sine fraude conservare .

*Item Capitulo 101. ( hodie 30. )*

Juramus statum & honorem Ecclesiæ B. Marci bona fide , sine fraude conservare , & quod dabimus omnes honorificentias tam Ecclesiæ prædictæ , quam Capellanis ejusdem , quas consueti sunt dare prædecessores nostri , quæ honorificentia sunt hæ , videlicet :

In primis , Primicerius , si fuerit , investitionem Duci dare debet super altare S. Marci ; & si non fuerit Primicerius , major Capellanus investitionem dare debet . Sed ante Dux debet jurare super quatuor Evangelia , statum & honorem Ecclesiæ B. Marci bona fide , sine fraude conservare , & postea Primicerius vel Capellanus major investit illum cum vexillo , quo accepto Palatium ascendit . Ipse vero Dux dare debet Capellanis pro suo introitu libras denariorum Venetorum viginti quinque ad grossos . Et si Capellani iverint ad Ducissam priusquam veniat ad Palatium , & laudes ei cantaverint ; tunc Ducissa pro remuneratione libras denariorum Venetorum viginti quinque eis persolvere debet . Cum

ipsa